

972

EPISTOLA PASTORALIS

AD

CLERUM ET POPULUM

MAZARIENSIS

DIOECESEOS



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA CONTEDINI
MDCCCXLV



ANTONIUS SALOMONE

SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS MAZARIENSIS

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI GREGORII XVI

PRAELATUS DOMESTICUS

ET PONTIFICIO SOLIO ADSISTENS

DILECTIS IN CHRISTO FRATRIBUS ET FILIIS,
CAPITULO, CLERO, ET POPULO UNIVERSO
SUAE DIOECESIS

PACEM, ET SALUTEM A DOMINO.

Quemlibet profecto ad pastoralis officii amplitudinem evectum terrere debent Apostoli verba ad discipulos suos Timotheum, et Titum Episcopos scribentis. Postquam enim Paulus Episcopatum bonum esse opus dixit, Episcopi enumerat virtutes: *oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem* (1) *justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem* (2). Quae omnia ut gravia sunt et numero non pauciora, Episcopale munus faciunt onus ipsis Angelicis humeris formidandum.

Quae cum ita sint, Fratres, et Filii in Christo dilectissimi, quisnam hominum ex infirmo Adae semine ortus, vires habeat tanto oneri pares? Terret per se ipsa Episcopalis celsissima dignitas; terret ex sanctorum Ecclesiae pastorum exemplis, qui ad tantae celsitudinis fastigium evecti, vel oblatum munus terrefacti effugere, vel sanctitate et doctrina praefulgentes, post traductam inter lacrymas et preces, in Episcopatu vitam, tunc demum pristinam habuere pacem, cum vel ad privatam sacerdotii vitam, vel ad claustri solitudinem rediere. Re

(1) *Timoth. cap. I.* (2) *Tit cap. I.*

quidem vera duplici potest ratione Episcopatus considerari. Quoad dignitatis gradum, amplissima quidem est dignitas, sacerdotii apicem attingens, hominem Apostolorum successorem reddens, Sacerdotum patrem, et veluti in terris Deum, ideoque a principibus subditisque viris, ab omni semper hominum genere, summo honore atque existimatione habitum. At si vero ab dignitatis amplitudine discedens, onus respicias, Episcopatus difficillimum munus est, periculosum, et plenum aleae opus, cum Episcopum reddat Speculatorem domus Israel, exemplum bonorum operum, et custodem omnium et singularum ovium suae fidei concreditarum.

Qui per ostium nempe per Christum ad Sacerdotium sunt ingressi, et tamquam Aaron vocati, et pro Christo in terris legatione funguntur, in Episcopatu non honorem, sed onus spectant; ideoque opus tantae molis, suisque humeris ponderosum omni ope effugere adlaborant.

Non ex jactantia dicam, Filii carissimi, sed coram Deo qui scrutator est cordium, et qui est de omnibus in novissimis judicaturus, coram Deo fateor, et coram hominibus qui me norunt, et quibus conscientiam meam aperui, quod nec opinatus in altitudinem aestuosi maris deveni. Praeterea ingenii mei tenuitas, nulla virtutum, quae sunt in iis qui praeesse debent, copia, nulla vitae, quae Dei ministrum decet sanctimonia, nulla eorum quae ab hominibus optari solent bonorum affluentia, ad Episcopalem Cathedram me ascensurum promittebant.

En ingenua ad vos cordis mei confessio. At de me aliter Qui infirma mundi eligit, ut confundat fortia, qui de lapidibus suscitat filios Abraham, disposuit. Ipse qui omnia novit, cui omnia praesentia sunt tempora, qui facit de tenebris lumen splendescere, qui postremum ex filiis Isai, majoribus posthabitis, Regem elegit, qui minimos hominum Apostolos effecit, ipse auctor fuit ut sic Serenissimo utriusque Siciliae Rege FERDINANDO II proponente, Supremus universalis Ecclesiae Moderator GREGORIUS XVI me ad perillustrem et veterem Mazariensem istam Ecclesiam regendam ac gubernandam destinaret.

Quod utrum mihi gratum fuerit, vosmet considerate qui summa rerum divinarum scientia praediti estis, maturaque polletis experientia. Haud enim vos latet perdifficile, et artem artium esse regimen animarum, praesertim in acerbissimis hisce temporibus, in quibus de terrenis rebus pene omnes homines solliciti nihil de caelestibus, et quasi omnia sint materia, aut nihil omnino sua hujusmodi negotia interesse existimantes, impurissimarum doctrinarum sectatores sacrosancta Religionis Christianae mysteria, et ipsasmet naturales philosophi-

cas veritates de animarum immaterialitate ac spiritualitate irridere, atque pessundare conantur.

Nam experientia duce parochi munere plerisque annis functo mihi compertum est periculosam esse ac perdifficilem animarum curam; et quamvis quisquis ad id muneris vocatus, boni pastoris officium implere satagat, paucae tamen sunt, quae vocem ejus audiant gregis sui oves, paucaeque sint oves ejus, et licet exterius tales videantur, interius tamen sunt lupi rapaces. Quapropter innumeras Deo, a quo omnia bona manant, gratias egi cum mihi a superioribus meis fuit demandatum, ut posthabita animarum cura, Canonici Theologi officio in Cathedrali Ecclesia fungerer, et ad consuetum docendi munus in florentissimo Abellinensi Seminario, in quo, emenso studiorum curriculo, perjucundam semper vitam vixeram, jure quodam postliminii redirem.

Ast ex altera parte voluntati Dei resistere malum est, et superbiae, et spiritualis ruinae argumentum. Per ministros suos Deus loquitur, et voluntatem suam significat. De quibus scriptum est: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Vix enim electionis meae ad Episcopalem istam Cathedram nuntio accepto, obmutui, et tamquam puer factus sum nescius loqui, mente revolvens tenuitatem meam, imparesque prorsus ad hoc onus sustinendum vires meas, pertimescens illam de pastoribus divi Joannis Chrisostomi sententiam: *Miramur an fieri possit, ut aliquis ex Rectoribus sit salvus* (1). In tanta qua jacebam animi perturbatione humiliter ad pedes Datoris luminum provolutus, Eum enixe deprecabar, ut qui non deest in necessariis, me adjuvare dignaretur, et quidnam essem facturus, ostenderet. Sacerdotes, Rectores animarum, viros sanctitate, doctrina, atque in gubernandi arte probatissimos consului memor moniti Ecclesiastici: *Fili sine consilio nihil facies* (2). Qui omnes consiliis suis mihi praesto fuerunt, atque uno ore affirmarunt. « *A Domino factum est istud*, et voluntati Dei, qui per ministros suos loquitur, obediendum, ejusque voci repugnare et nolle acquiescere peccatum, et quasi scelus esset; roborantes timiditatem meam Divi Leonis ad Pontificatum evecti verbis: « *Qui tibi* (ajebant) *honoris est auctor, ipse tibi fiet administrationis adjutor, et dabit virtutem qui contulit dignitatem*: » Queis verbis voluntate Dei de me ita jubentis certior factus, animo volenti licet infirmissimo, tanto oneri colla subjicere aequum duxi. Reliquam animi ambiguitatem abstulit Religiosissimus Rex noster, quem Deus semper sospitet, Ferdinandus II, qui benignissime me au-

(1) *Hom. 34. in Epist. ad Hebr.*

(2) *Cap. XXXII. 24.*

dientem excepit, et verbis Patris et Regis, cujus cor in manu Dei est, me in ista vinea Domini adlaborare, quoniam sic Deo placitum erat, est exhortatus.

Ideoque, Fratres, et dilectissimi in Christo Filii, alacri animo e terra, et cognatione mea egredior, et venio in terram istam, quam mihi Deus ostendit, terram uberrimis donis a natura refertam, claris veteribusque ornatam monumentis; venio ad vos nunc per epistolam, quamprimum, ut spero, per praesentiam, in nomine Jesu Christi Domini nostri non gloriandi et dominandi cupiditate, sed subveniendi et Deo placendi voluntate; venio ut vitam omnes aeternam abundantius habeatis, apprime noscens fidem et charitatem vestram, quam quovis tempore opere et sermone exhibuistis, et, me quamvis praeclarissimis istius Ecclesiae Pastoribus antecessoribus meis meritis ac virtute longe inferiorem, benevolentia tamen, et desiderio, quae recta sunt toto vitae meae tempore faciendi, alterum ab illis vos experturos in Domino confido. Quaquopter sinite me ad vos omnes collectim prius, postea ad singulos vestrum ordines animi mei sensus patefacere; vosque me tamquam patrem vestrum amantissimum precor audiatis.

In ea certe tempora devenimus, Fratres, et Filii in Christo carissimi, in quibus non pauci insurgunt indocti, et pseudoprophetae, qui ad insipientiam erudiunt multos, impiis venenatisque doctrinis hominum mentes corrumpentes, docentes quae non oportet, fidem et mysteriorum revelationem non esse amplius necessariam, principemque locum in credendis tenere rationem jam jam excultam et perpolitam, eamque ad Denm ipsum dignoscendum, ejusque divina attributa, sufficientes vires habere; ejusque lumen fidei arcana penetrare posse, neque alio lumine hominem indigere, ut Deum diligat, eique inserviat, venerationem ac obsequium praestet. Docentes insuper rationis humanae progressum in singulis hominum aetatibus, ejusque in praesenti perfectionem ac supremum gradum, quo conantur ostendere, supervacaneam esse fidem, et notitiam credendorum, mythis amandantes quaecumque in veteri ac novo testamento revelavit Deus pro animarum salute: mythumque esse ipsnm Dei Verbum incarnatum et passum, Jesum Christum; docentes materiam ipsam cogitatione et extensione (attributis se se invicem opponentibus) praeditam, esse causam rerum omnium efficientem, ipsiusque esse emanationes quotquot rerum eventus, et hominum generationes, et cuncta, quae in hoc mundo inspicimus phaenomena. Heu tempora! heu mores! tempora iniquissima, mores pessimi. Heu perditissimorum hominum genus, qui bonis ipsius Largitoris omnium

bonorum abutentes, in Deum omnium Conditorem ac Redemptorem ingratissimi, proh scelus! insurgunt. Quare vos omnes oro obtestorque, Fratres, et Filii in Christo carissimi, ut fidem quam a parentibus accepistis sartam tectamque teneatis, ut Deo placere possitis, eamque operibus consocietis; vos oro obtestorque, ut eam junctis viribus contra infensissimos Religionis Christianae hostes tueamini, et potentes sitis opere ac sermone, ut nutantes in fide fratres confirmetis, ut si in quibus mortua sit, eam vivificetis, ut vosmetipsos exhibeatis exemplum bonorum operum, ut omnes et singuli videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in Caelis est. Vos oro obtestorque, ut teneatis traditiones patrum vestrorum, caventes, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, claudentes aures impiis hominum locutionibus, qui Christi fidem blasphemant, et rationem fidei praeponunt, non intelligentes quid dicunt; cum impossibile sit rationi fidem adversari; cumque certum sit, Deum rationis et fidei esse auctorem; ideoque non posse sibimet esse contrarium, ut imperet fide, quae rationis lumini adversentur; cumque certum sit, fidem et rationem amice inter se consentire in Religionis negotio ad Dei gloriam promovendam, hominumque aeternam salutem procurandam. Haec generatim. Nunc ad singulos Ordines speciatim alloquendos, ut promisi, devenio.

Et primum sermonem ad vos facere conditionis vestrae ratio postulat, Venerabiles Dignitates, et selectissimi Cathedralis Ecclesiae Canonici, quos post Hieronymum (1), Tridentina Synodus repraesentare ait Episcopalis Ecclesiae Senatum (2). Vos obsecro atque obtestor, ut qui meus estis Senatus, Consiliarii, Assessores, sic in ministerii mei Episcopalis adimpletione et adjutores sitis. Non vos praeterit, me in ministerium missum propter eos qui haereditatem capiunt salutis, ad animarum totius istius dioecesis sanctificationem, quae est Dei voluntas: mecum ergo oportet adlaboretis vos, qui primum post me locum tenetis in hoc missionis meae fine assequendo. Et sicut me urgent illustrium Antecessorum meorum exempla, et praesertim Dominici Spinolae Genuensis presbyteri Cardinalis, et Joannis Lasani Hispani, et Emmanuelis Custo ex urbe Panormo, et Joannis Caputi Catanensis, et novissimi istius Ecclesiae Antistitis Aloysii Scalabrini Drepanensis Sacrae Carmelitanae Familiae Vicarii jam Generalis; sic et vos urgere debent exempla illustrium vestrum Decessorum, qui quovis tempore, ut magna animi mei laetitia accepi, Pontifices suos in Episcopali ministerio adju-

(1) *In cap. 5. Isaiae.*

(2) *Trid. Ses. XXIV. cap. 12. de Ref.*

varunt. Sit una eademque mentis meae et vestrae cogitatio; unum idemque cordis mei ac vestri desiderium, salus aeterna omnium Mazariensis Dioecesis animarum. Hanc nobis dedit Deus vineam excolendam, hoc sit opus ministerii nostri: forma totius gregis facti ex animo, prudentia, sapientia, modestia, morum suavitate, virtutum omnium choro, exhibeamus nosmetipsos ut ministros Christi, et Dispensatores mysteriorum Dei, charismata meliora semper aemulantes. Quod profecto consequemur, si munere, quod adimplendum dedit nobis Deus, bona rectaque animi intentione fungamur. Ego pastoris boni et non mercenarii, vos consilii boni, et non mali datores: ego parentis amantissimi, omnibus et singulis benefacere et opem ferre parati; vos fraterna in omnes et singulos charitate, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium vestrum, injurias aequo animo patientes, laedentibus parcentes, miseris succurrere discentes, viduis, pupillis, omnium egenis, juxta facultatis vestrae vires, opem ferentes, illud prae oculis habentes: *Cui plus datum est, plus requiretur ab eo.* Abundemus invicem, Fratres dilectissimi, in omne opus bonum scientes, quod labor noster non est inanis in Domino. *Non enim injustus est Deus ut obliviscatur operis nostri, et dilectionis quam ostendemus in nomine ipsius* (1). Enitamini, Fratres, ut quemadmodum in Ecclesia Dei caeteros gradu antecellitis, sic et virtutibus praecellatis. Angelicum potius quam humanum est officium vestrum. Laudare Deum in psalterio: psallite ergo bene Ei in vociferatione; Deum vespere et mane collaudate, ut qui vos audiunt, Deum glorificent, eique, vestrum aemulatores effecti, laudes concinnare ediscant. Sic officium vestrum adimplentes, me coadjuvabitis; sic gregem Dei communibus veluti consiliis, vigiliisque pascentes, a pastorum Pastore duplicem coronam his, qui bene praesunt servatam consequemini (2).

Vos etiam eadem animi benignitate alloquor, Dignitates, et amplissimi Collegialium Ecclesiarum Canonici, quos gaudium meum et coronam meam in Domino esse, in votis mihi est. Et eritis certe si illustrium praedecessorum vestrorum haeredes, in domo Dei cnm consensu ambuletis, non dominantes in cleris, sed caeteris, ut gradu excellitis, in sacrarum etiam scripturarum lectione, in scientiis excolendis, ac in virtutum omnium exercitio, praeluceatis. Eritis certe, si quod verbis profertis ex ore, Deo adjuvante opere implere nitamini; eritis certe, si aures patientes accommodetis verbis concilii Mediolanensis (3). *Si attente, studiose, pie, religiose, divinas laudes concelebretis, non mente vaga,*

(1) *Hebr. Cap. VI.* (2) 1. *Timoth. Cap.* 5. *v.* 17. (3) 4.

non vagis oculis, *non indecenti corporis statu*. Haec agite dilectissimi, et hominibus placebitis, et Dei servos semper futuros certe confidite.

Nec minori cordis affectu ad vos sermonem meum converto, spectatissimi Parochi, ac animarum Rectores, qui in pastoralis sollicitudinis partem estis adsciti. Compertum jam mihi est, vos fervidissimo zelo muneris vestri partes adimplere: sed grato animo, quaeso, excipiatis, quae Parochorum Parochus scilicet Episcopus qui vos alloquitur, sibi ipsi et vobis ea omnia memorat, quae pastoralis officii propria sunt, quaeque ob oculos semper habere necesse est; praesertim cum in ea aetate versemur, in qua sacra profanis mixta, parochi munus quod sacrum est, quasi civile munus prorsus habetur, veluti si pastores, animarum quae curae suae sunt commissae, rationem Christo Jesu Pastorum Principi non essent reddituri.

Animarum cura, ut probe nostis, Adjutores mei carissimi, a Deo nobis concredita est; omni ergo diligentia in singulas fere horas ad earum salutem procurandam nobis est insudandum. Inspiciamus pastorum Principis exemplum, Jesum Christum, Eumque, quantum in nobis est, imitari studeamus. *Ego sum*, Ipse ait, *Pastor bonus*, *et animam meam pono pro ovibus meis*, et revera animam suam, nempe Sanguinem suum pro omnium salute in ara Crucis effudit. Non parcamus ergo neque laboribus neque vigiliis, neque vitae ipsi, cum videamus vel unam animarum quae nobis sunt commissae, salute aeterna periclitari. Hinc demandatum nobis est animabus in discrimine et calamitate versantibus omne spirituale pabulum etiam cum vitae periculo ministrare. Hinc cura in dignoscenda cujuslibet ovis sui gregis conditione, ut possit pastor illius saluti providere, ut si in ovile sit, in eo permanere verbo et exemplo studeat; si corpore et mente aegrotet, sollicitus sit, eam corpore et mente sanare re, et sana doctrina; si in puerili sit aetate, si in virili, si senio confecta, ei cuivis aetati convenientia, praebeat pascua salutaria, ut in ovile permaneat, et vocem pastoris sui semper audiat. Si vero extra ovile ovis sit, in memoriam revocet pastor illius Evangelici Pastoris curam, qui nonaginta novem ovibus relictis, unam quam perdiderat, quaerere et invenire sategit. In memoriam revocet quae jubet Apostolus hac in re fieri debere: instet bonus pastor importune, opportune ut ovem deperditam inveniat; arguat, obsecret, increpet in omni patientia et doctrina; Deum omnium bonorum Largitorem, deque omnium salute aeterna sollicitum enixe roget, ut ad gregem suum ovis amissa redeat. Quapropter sanctitate, vitae integritate, doctrina sana polleat animarum Curator, ut potens sit fideles exhortari, et eos qui contradicunt arguere, ut recte valeat munus suum obire.

Audiamus Apostolorum Principem animarum pastores alloquentem: *pascite qui in vobis est*, *gregem Christi*. Pascamus exemplo; pascamus verbo; pascamus Sacramentis. Pascamus exemplo; si bonis esse moribus praeditos quos regimus, exoptamus fideles, boni et nos primum simus: scriptum est enim: *Qualis, rector est Civitatis*, *tales et inhabitantes in ea* (1). Quaecumque sunt justa, sancta bonae famae, haec cogitemus, haec agamus (2), ut opera nostra bona videant, eaque studeant, qui vident, imitari; ut qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Pascamus verbo: assidua verbi Dei praedicatione audientium intelligentiae accommodata, scriptura et Patrum auctoritate suffulta, uno verbo: praedicatione quae sapit Jesum Christum, et hunc crucifixum, et non mundum et inanem philosophiam. Sedulam ergo operam impendatis, quaeso, puerorum institutioni, edocentes eos fidei mysteria; viriliter quaeso agatis, ut per vos possint peccatores a via iniquitatis recedere, et ad Deum Patrem suum instar prodigi filii redire. Pascamus Sacramentis, quae a S. Ecclesiae Patribus animarum medicamina nuncupantur; omnem diligentiam in iis administrandis precor adhibeatis, aut quibus ea ministranda committitis serio velim perpendatis. Sacramenta enim fontes sunt salutis et gratiarum, perpetua Redemptionis Christi signa, quibus Sanguinis ejus virtus et pretium nobis applicatur; et ab ipso Christo instituta juxta Concilium Tridentinum » *ut per illa omnis vera justitia vel incipiat*, *vel coepta augeatur*, *vel amissa reparetur* » (3). Solliciti ergo simus de animarum salute, quas nobis Deus concredidit, scientes quia de manu nostra sanguinem earum Deus requiret, solliciti simus, ut earum simul et nostrae saluti aeternae consulamus.

Nunc ad vos devenio, Sacerdotes, qui inter omnes gens sancta estis, et caetum Dei peculiarem constituitis, veluti olim inter caeteras tribus Israel, tribus Levi peculiari modo erat Deo dicata. Si speciali gratia a caeteris segregavit vos Deus, ut sacerdotio sibi fungamini, *Videte* (vos alloquor verbis divi Bernardi), *videte fratres vocationem vestram*, *eminentiam et dignitatem ordinis vestri* (4). Vos Sacerdotii honorem assecuti, atque a Deo tamquam Aaron vocati, eam vitae conditionem estis amplexi, quam ipsi Angeli venerantur, uti divus advertit Gregorius Nazianzenus: *Sacerdotium ipsi quoque Angeli veneratione prosequuntur* (5). Hinc inferetis profundam, magnam, et pene infinitam Sacerdotii dignitatem. Et sane sacerdotes ministri sunt summi novi foederis Sacerdotis Jesu Christi, ejus-

(1) *Eccl.* 10.
(2) *Philip.* 4.
(3) *Trid. Sess. VII. dec. de Sacramentis.*
(4) *Serm.* 61.
(5) *Orat.* 17.

que aeterni ac divini sacerdotii participes. At tantae ac tam grandi dignitati permulta etiam et gravia respondent onera, quae sacerdotem ut bonum Christi militem in Ecclesia laborantem, Deo simillimum in terris, virtuosum, perfectum esse postulant. Dignitas magna summam exigit sanctitatem. Audite de vobis loquentem Angelicum Doctorem. *Illi qui divinis ministeriis applicantur, perfecti in virtute esse debent* (1). Sanctitas summa propter ea, quae exercere debet Sacerdos in domo Dei ministeria, quae eadem sunt quae Ipse Sacerdotum Dux et Caput Jesus Christus exercuit, quaeque tria sunt, ut ipse divus Thomas advertit. 1.° Dei voluntatem et legem hominibus nuntiare; 2.° preces et vota hominum Deo offerre; 3.° pro hominibus offerre sacrificium. Quae tria ut digne valeat exercere Sacerdos, doctrina et vitae sanctitate sit praeditus, est opus. Haec praecepit Deus in veteri Lege; haec confirmavit sancivitque exemplo suo novae legis auctor, Christus. Praecepit doctrinam. *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus* (2). Praecepit sanctitatem: *Sancti estote, quia et ego sanctus sum* (3). Quapropter, Dilectissimi in Christo Fratres, licet vos omnes existimem sanctos, et in doctrina sana potentes, propter temporum tamen, in queis vivimus iniquitatem, sinite me Patrem ac Fratrem vestrum vos exhortari, ut mentis vestrae aciem intendatis ad ministerium, ad quod vocavit vos Deus, ministerium adorabile ac divinum. Quotidie enim, qui in sacratissimo Virginis utero semel est incarnatus, et seipsum obtulit in ara crucis hostiam expiationis Filius Dei, in manibus vestris in peccatorum remissionem quodammodo incarnatur ac immolatur: ministerium formidabile, uti Sacerdotium appellat divus Ephrem, quia auctoritate, quae solius Dei est, pollent sacerdotes, dimittendi in terris peccata non sine Coeli et terrae admiratione; mores ergo vestros huic tanto, tam sublimi, ac sancto ministerio precor aptetis. Vos lux mundi estis, sal terrae per quem condiendi sunt populi: luceat ergo sanctitas vestrorum operum, ut lux operum populi sit regula, doctrinam sanam redoleat mens vestra, ut intuitu magisterii vestri, quae sursum sunt quaerant, et sapiant qui a vobis edocentur populi. Memores estote verborum Apostoli. *Nemini dantes ullam offensionem ut non vituperetur ministerium vestrum, sed in omnibus exhibete vosmetipsos sicut ministros Dei* (4). Quod profecto assequemini si divi Augustini in regula praescriptionem servetis. » *In incessu, statu, habitu, et in omnibus motibus vestris nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem* ».

(1) *In 4. distinct. 24. quaest. 3. art. 1.*
(2) *Malach. II. 7.*
(3) *Isai. 2.*
(4) *2. Cor. 6.*

Quae sacerdotibus dicta sunt, ad vos etiam dicta velim Diaconi, hypodiaconi, qui jam in domo Dei pede certo ambulatis. Considerate in sacerdotali ministerio ad quod tenditis, quae vos expectant officia adimplenda! Satagite, ut muneri vestro bene nunc attendatis, ut per bona vestra opera sacerdotii dignitatem assequamini pro vestra populique, cujus olim lux futuri estis, salute.

Juvat etiam ad vos majori quo valeam cordis affectu verba facere, clerici, et inclyti adolescentes, pusillus grex ovilis Christi, qui in florentissimi istius Seminarii aedibus vitam degitis, et pietatis et scientiae lacte alimini. Erga vos, vestrumque commodum, ac progressum in morum suavitate ac litteris scientiisque excolendis, ac erga futuram vitae vestrae conditionem, quo fervet zelo cor meum, per epistolam non valeam satis explicare. Cognoscetis postea cum me assidue in medio vestri esse, et conversari inspicietis. Fui enim et ego ut vos nunc estis, semperque jucunda mihi erit illius, quam in seminario aetatem degi, ideoque perjucunda mihi erit et non habens taedium vestra conversatio, praesertim cum praecipua Episcopis cura habenda sit de alumnis in seminario degentibus, qui in spem Ecclesiae succrescunt. Audite, filii dilectissimi, vocem patris vestri qui loquitur vobis bona; quaeque pro majori vestra utilitate, ipse vobis suggerit laeto animo excipite. Vos in praesenti, ut ita dicam, omnis carnis corruptione meruistis in ista seminarii aede, veluti in arca salutis a Deo custodiri. Satagite ergo, ut vitam immaculatam totius sceleris puram ducatis, ne in pene universali corruptionis diluvio pereatis. Memoria retinete divinum Spiritus Sancti effatum: *In animam malevolam non intrabit sapientia*, et quod *initium sapientiae timor Domini.* Omnes ergo animi vestri vires impendite in Domini timore adquirendo, vitiisque omnibus fugiendis, ut veram sapientiam adipiscamini. Salutaribus eorum qui vobis praesunt Sapientum moderatorum monitis obedite, quos ingenti animi mei gaudio, scio de ingenio vestro bonis studiis excolendo, animoque vestro bonis moribus informando esse sollicitos. Ego sollicitudini eorum stimulum addere enitar, ut vos optatam metam attingere valeatis. Vos germina estis Sacerdotii, et Ecclesiae meae spes jucundissima; intendite ergo animum ad sacerdotium qua decet morum sanctitate et doctrina obtinendum. De vobis doctissimus Origenes mentionem faciens, ajebat; *Ut nihil scientiae, nihil eis sapientiae, nihil desit justitiae* (1). Videte, quaeso filioli mei, quos vehementer in Christo diligo, videte quod, dum vos oculorum meorum pupillam pretiosissimam appello, dum vestrae utilitati ac saluti, ac per vos Ecclesiae meae utilitati consulere conor,

(1) *Orig. Hom. 8. in cap. 7. Levit.*

ego non patiar, me de salute mea aeterna, ac bona apud Deum et homines fama periclitari, manus meas cito imponentem super eos inter vos, quorum non est satis probata vita, quique scientiam ac sapientiam apprime non calleant. Memor sum Apostoli Episcoporum cuilibet praecipientis. *Nemini cito manus imposueris*; memor sum verborum quae olim Deus protulit per prophetam, quaeque sacerdotes respiciunt; *Scientiam repulisti a te, et ego repellam te ne sacerdotio fungaris mihi.* Quare, filioli mei carissimi, gaudium meum et corona mea, ad finem vestrum atque ad vestram vocationem diligenter attendite; operam date ut non solum vocati, sed et electi olim sitis sacerdotes; operam date, ut sic curratis, ut bravium comprehendatis. Vos in ea vinea estis, in qua nunc bene plantati, et aqua timoris Domini ac sapientiae rigati, uberrimos posthac fructus daturi estis; vos selectissimae in illo hortulo plantae estis, in quo nunc flores suavissimum odorem flagrantes, exquisitissimos postea maturosque fructus praebituros speramus. Ego vineae hujus, hujusce hortuli custos ero vigilantissimus, et si res postulare videtur, ego vineam istam atque hortulum plantabo, una mecum qui in illis excolendis nunc adlaborantes insudant, rigabunt, et vineae hortulique Dominum enixe communibus votis deprecabimur, ut incrementum donet gratiae suae.

Ad vos etiam qui in tota Mazariensi Dioecesi in deliciarum paradiso nempe in specu vestro beatam ducitis vitam, cujusque Ordinis Religiosi Viri, ad vos etiam sermonem meum converto, non ut de more vos alloquar, et ad Deum tantum pro me preces fundendas vos exorem; sed ad vos sermonem instituo tamquam ad meos collaboratores in vinea, quam mihi dedit Dominus excolendam. Vos omnes SS. Patrum vestrorum vestigiis inhaerere in muneris vestri partibus exequendis exploratum mihi est: vobis speciali quam a Deo accepistis gratiam, perituras mundi calcandi delicias vanamque saeculi pompam fugiendi respondere cordi esse, norunt omnes, et ego non ignoro. Vos solitariam vitam procul a rumoribus, tamquam mundi exules et haeredes Paradisi, orationi ac vigiliis deditam ducere, compertum habeo satis. Vos certe felices, si id vitae genus assidue prosequemini! mortalem hanc aerumnis ac laboribus refertam vitam cum immortali atque aeternis gaudiis plena commutabitis! Festinate ingredi in illam requiem beatitudinis, *quae a carnali concupiscentia recedentes expectat, quam assequentur, qui tam carne quam mente se Deo voverint, et qui consumant opus suum magno praemio destinatum* (1). Vos feli-

(1) *S. Cyprian. Epist. LVII.*

ces, qui rectam prae caeteris juxta instituti vestri rationem prementes viam, facilius ad sanctam civitatem, caelestem Hierusalem valetis ascendere! Exultate ut gigantes ad currendam viam sanctitatis et perfectionis, arduum virtutis ac poenitentiae iter, ut cum dies propinquae mortis advenerit, nihil pertimescentes, unusquisque vestrum valeat dicere cum Apostolo: *fidem servavi*, *cursum consumavi*, *in reliquo reposita est mihi corona justitiae*; et cum clara Dei visione ei datur frui, possit cum divo Petro de Alcantara exclamare: *o felix poenitentia*, *quae talem ac tantam mihi promeruit gloriam*!

At vos in praesenti praesertim qua vivimus miserrima ob vitia aetate, non solum solitariam, sed operosam etiam decet vitam vivere. Vos etiam, uti estis, existimant fideles, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Et tales fuere Patres vestri, qui in operibus publicae utilitatis peragendis operam navarunt suam: nolite ab illis degeneres demonstrari! pro populo preces fundite, sed et verbi Dei praedicationi etiam attendite, puerorum mores pietatem et Dei cultum vestra vita et exemplo informate; desides insipientesque homines ad bona opera excitate, edocete; pupillis, viduis, orphanis, miseris succurrere discite; Sacramenta, quae potestis, fidelibus administrate; consociate vos iis qui in vinea Christi laborant operariis, ut sicut laborum, sic et eorum sitis socii praemiorum.

Nec vestri oblivisci possum, Sacrae Virgines, quae in foraminibus mysticae petrae delitescentes, et in vinariam claustri cellam a caelesti Sponso introductae, immaculatam vitam ducitis, et pennis non cuilibet hominum datis, sed columbae deargentatae ad eum qui in Caelis est, et ad dexteram Patris sedet, Sponsum vestrum, securae advolatis. Praegrandi vos exultatione alloquor, quia spiritu principali confirmatae paratum habetis voluntati vestrae omnium donorum Largitorem quasi caelestes animae, quibus nihil sceleris superest luendum, in terris degentes. Me patrem et pastorem vestrum amantissimum caelesti Sponso vestro semper, et praesertim in felicioribus illis momentis, cum in immaculata et ardentia corda vestra, ignita charitatis suae tela injicit, commendate. Heu quam inops et pauper ego sum apud Dominum, ut valeant preces meae pro totius gregis mei salute exaudiri! Considerate, filiae meae, dilectissimae, quaenam sit status vestri dignitas; quid vos deceat pro statu vestro peragere, ut possitis Sponso vestro placere, prudentesque inter virgines cooptari. Ipsis Angelis admiranda est vitae vestrae conditio, quia juxta effatum Spiritus Sancti: *Non est ponderatio continentis animae*. Virgines mente et corpore Sanctae, summa semper habitae sunt in terris existimatione apud ipsos Reges et Imperatores, hono-

re ac reverentia prosecutae, dignae quae in terris, Angelis coaequari meruerint; immo Angelis haberi admirabiliores. Audite quomodo de vobis loquitur praeclarissimus Ecclesiae Pater Cyprianus, cujus verba haec sunt; *Flos Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritualis, laeta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi* (1). En elegantissimam excelsioris conditionis vestrae descriptionem! Verum quo sublimior gloria status vestri est, ut monet ipse Cyprianus (2), major et cura esse debet. Quare sine ulla labe puram atque immaculatam vos decet degere vitam, quae Angelis vos comparat in terris, ut caelestis Agni immaculati dignae esse sponsae mereamini. Vos speciali Dei gratia domui, parentibus, totiusque mundi illecebris vale dixistis: satagite, ut per bona vestra opera sublimem vitae vestrae statum condecoretis, aures vestras profanis, vanisque locutionibus claudatis; soli Sponso vestro placeatis, Eique cunctas mentis vestrae cogitationes, et cordis affectus penitus consecretis. Quod facile praestare potestis, si vocem ejus audieritis non obdurantes corda vestra; si Eum, quocumque ierit, sequi eritis paratae: si instituti vestri regulis, veluti legibus obtemperare studueritis: si tria quae facitis vota, virginitatem, paupertatem, et obedientiam religiosissime servaveritis. Sic dignae eritis et caelesti sponso obviam ire, ad caelestis Agni nuptias vocari, et una cum Angelis caeleste epithalamium, canticum novum cantare.

Juvat etiam ad vos, incorruptissimi Magistratus, et Proceres perillustres, qui principem locum post Dei ministros in terris tenetis, sermonem meum convertere. Et primum vos alloquor, magistratus amplissimi, quibus datum est de hominum sortibus judicare. Attendite quid vobis dictum sit: *Erudimini qui judicatis terram.* Vos omni scientiarum copia praediti estis, omnigenaque eruditione clari: flores enim hominum vos estis, qui caeteros homines electi estis judicare. Tales vos probat non sine improbis scientiarum laboribus, nec sine rerum magistra, experientia, parta vobis in litibus dijudicandis gloria. Sedere vos ob hoc super judicantium cathedram jure meruistis. Neminem sane latet vos recta semper judicasse, et pro viduis, egenis, miseris, ab iniquissimis propinquis, divitibus, potentibusque oppressis, sententiam tulisse; memores, religione, qua polletis, inclyti, verborum Domini: *Ego justitias judicabo*; et rationis, quam judicum judici Deo, de iis quae in terris judicastis, estis reddituri. In hac igitur sententia state, in qua semper fuistis: *justa decernite, et recta judicate.* Jura par-

(1) *De discip. et habit Virg.* (2) 66.

tium prius inquirere estote solliciti: hoc ob oculos habete; ad hoc serio attendite: clamor enim injustitiae ascendit usque ad thronum Dei, qui in Angelis reperit pravitates, quique omnes est super omnia severissime judicaturus. Ne sitis mendaces in stateris, quoniam statera dolosa abominabilis est apud Dominum. Sic severae justitiae Sacerdotio bene fungentes in terris justitiam aeternam, Dei beatitudinem consequemini.

Optimates totius Mazariensis dioeceseos, Filii in Domino dilectissimi, etiam et vos, quidnam sit missionis vestrae in terris officium haud ignorare, immo apprime dignoscere, et peragere compertum mihi est. Gratulor enim vobis, quod summi Dei bonis, quae vobis abundanter est largitus, bene utimini, nempe ad thesaurizandum vobis thesauros in Caelis, qui non veterascunt. Ea enim de causa vobis Deus et ingenium sublime, et generis nobilitatem, et divitiarum largitus est copiam, ut iis utamini, et ad ultimum vestrum finem assequendum, aeternam nempe beatitudinem; et ad eorum qui vobis subjecti sunt inopiam sublevandam: jurgia et contentiones inter populos depellite, populus enim monitis vestris obtemperat; benefacite miseris instar Patris omnium Dei, qui omnium miserias sublevat; iis qui in periculis in angustiis vos consulunt, recta praebete consilia, ut parentis loco vos habeant: egenis, afflictis, persecutionem patientibus solatium ac levamen afferte. Sic peragentes, et Dei et omnium benedictionem habebitis, nomen vestrum in aeternum vivet in generationibus populorum, atque aeternae vestrae saluti, de qua quam maxime solliciti esse debetis, providebitis.

Postremo ad omnes eloquium meum dirigo quotquot estis dilectissimi in Christo Filii, cujusvis aetatis conditionis, ordinis, sexus, fortunae, quoquot inclitam incolitis Dioecesim Mazariensem, vos ut in exordio hujusce epistolae pastoralis innui, oro atque obsecro, ut fidei depositum, quod a majoribus vestris accepistis diligentissime custodiatis, cum sine fide impossibile sit placere Deo. In hujusce fidei obsequium intellectum vestrum captivate, quia falli nescius est Deus, a quo fides venit, et salutis nostrae aeternae est amantissimus, quia charitate perpetua dilexit nos ante mundi constitutionem, et ideo attraxit nos miserans nostri. Considerate qualem nobis Deus dedit gratiam, ut filii Dei nominemur et simus. Considerate quia propter nos homines et propter nostram salutem Filius Dei descendit de Coelis, scientes, ut vos alloquar verbis divi Petri (1) *quod non corruptibilibus auro, vel argento, redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati*. Sequamini ergo, Filii dilectissimi, vesti-

(1) *Petri I.* 18.

gia Ejus, qui pro nobis passus est; ipsum audite quem dedit Pater ducem et praeceptorem gentibus Filium suum dilectum, in quo ipse bene complacuit. Claudite aures vestras in iniquissima hac temporum conditione iis, qui numero sunt prorsus infiniti, qui loquentes mendacium, ineptas atque aniles fabellas sequuti, (1) magistri facti sunt erroris, prurientes auribus, qui a veritate auditum averterunt, et ad fabulas conversi sunt, et veniunt ad vos, ut in errorem vos inducant, vaniloqui, seductores. Per viscera Jesu Christi vos rogo, ut id genus hominum perditissimorum verba non audiatis, eorumque librorum lectionem devitetis.

Fidei etiam, quam inviolatam oro custodiatis, opera vestra bona consociate, sine quibus ipsa mortua esset, nulloque vobis foret adjumento salutis. Fidei quae est in Christo Domino, quaeque omnium credendorum vobis regula est, spem firmam velim adnectatis praecipiente Deo: *Sperate in Domino omnis congregatio populi* (2). Quare sperate in Domino, et dabit vobis petitiones cordis vestri: ab ipso auxilia exposcite necessaria, ut bona opera peragatis, atque per ea tamquam per media creationis vestrae finem, aeternam nempe beatitudinem assequi possitis. Fidei et Spei, quae omnium est Dei charismatum regina, charitatem conjungite. Scriptum est enim: *Super omnia autem charitatem habete* (3). Charitas omnia vincit; ipsa est plenitudo legis, Religionis Christianae summa, et vinculum perfectionis. Charitatem habete erga Deum, Eum super omnia diligentes. Deum colite, Deum timete, Deo obtemperate, Deo omnes cordis vestri affectus vovete; eique soli inservite. Haec est summa charitatis. Ipse enim et pater et Dominus noster est; Ipse Creator et Redemptor; Ipse nostrum principium et finis. Simus nihil nostri, simus toti Dei. Vivamus nos, sed non nos; sed vivat in nobis Deus, in quo vivimus, movemur et sumus.

Diligite etiam et proximum vestrum sicut vosmetipsos. Unus est charitatis fons, duos habens rivos, Dei et proximi; Deum diligite super omnia, et proximum vestrum sicut vosmetipsos, ex his duobus universa lex pendet et prophetae. *Filioli* mei dilectissimi, utar verbis divi Joannis Evangelistae, *Diligite alterutrum*. Hoc enim et praecipuum erit praedicationis meae argumentum cum ad vos venero. Ignem charitatis venit Dei Filius mittere in terris, et vult ut accendatur, venit ut homines vitam habeant, et abundantius habeant.

(1) *I. ad Timoth. cap. VI. v. 2.*
(2) *Psalm.* 61.
(3) *Coloss.* 3.

Hoc pastoribus reliquit primus Pastor ministerium inter greges suos adimplendum, ministerium pacis et charitatis. Hoc apud vos executurum spero; illudque vobis nunc per epistolam commendo: Diligite Deum et proximum, et sic adimplebitis legem Christi. Animadvertite, vos Filii charissimi, ut sicuti Deûm toto corde et totis viribus jubemur diligere; sic et fratres nostros non verbo solum et lingua, sed opere et veritate diligamus. Procul ergo sint a vobis quae mutuam omnino laedunt charitatem, inimicitiae, contentiones, rixae; procul convicia, blasphemiae, homicidia. Haud haec decent Christianos, qui Christi principis pacis discipuli sunt, et qui dilectionem ad invicem discipulis suis commendavit. « *In hoc enim cognoscent omnes* (sic eos alloquebatur) *quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (1). Immo peculiari hac veluti nota dignoscebantur primi fideles, uti testatur Tertullianus. *Vide, inquiunt Ethnici, ut ad invicem se diligant . . . et ut pro altero mori sint parati* (2). Estote ergo inter vos, Filioli dilectissimi *cor unum et anima una in Deo.*

Tandem singulos, ne pastorali desim officio, in peculiari qua estis vitae conditione, alloquor. *Patres* (audite verba Domini omnium parentis per os Apostoli loquentis), *nolite provocare ad iracundiam filios vestros* (3), sed majori qua potestis charitate ac vigilantia eorum educationi attendite, ut Ecclesiae utilitati, et Reipublicae bono crescant, et baculum sint senectutis vestrae. *Filii* ne insurgatis *in parentes* (4), *sed illis obedite per omnia, hoc enim placitum est in Domino* (5). Sic facientes, longaevi eritis super terram, rectaque omnia vobis evenient. Viri diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et considerate eas uti adjutorium simile vobis. Et mulieres viris vestris subditae estote, sicut Domino. Servi obedite per omnia Dominis vestris, nullam illis dantes offensionem, qui dant vobis panem ad vescendum, et vestrae mitigant conditionis asperitatem. Et vos Domini quod est justum servis praestate: dignus est enim operarius mercede sua, scientes quod et illorum et vester Dominus est in Coelis, cui nuda et aperta sunt omnia. Senes sobrii sitis, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia, ut vitae magistros vos habeant adolescentes. Juvenes similiter sobrii estote, ut floridam vitam, Deo et parentibus obtemperantes, ducentes, senectutem bonam adipiscamini. Divites, pauperes ne exhonoretis, nec eos per potentiam opprimatis (6). *Pauperes abundate in fide,*

(1) *Joan. cap. XIII. v.* 35.
(2) *Tertull. Apologetic. cap. XX.* 19.
(3) *Ad Ephes. cap. VI. v.* 4.
(4) *Matth. cap. X. v.* 11.
(5) *Coloss. cap. III. v.* 20.
(6) *Jacob Epist. Catholic. Cap. II. v.* 6.

et spe, *quoniam Deus Pater omnium est* (1). Uno verbo: Filii mei dilectissimi: *Omnes honorate*: *fraternitatem diligite*, *Deum timete*, *Regem honorificate* (2).

Quae omnia ut opere complere valeatis, gratia Domini nostri Jesu Christi, qui ait: *sine me nihil potestis facere*, vobis, ut probe nostis, est opus. Quapropter conjuncta oratione, junctis manibus, oculis in Coelum sublatis, corde contrito et humiliato ipsum Jesum Christum Dominum nostrum, per quem omnia, suppliciter deprecemur, ut det vobis et mihi auxilium, quo perficere queamus, quae nobis Ipse dedit nos velle. Nihil sit nobis timoris, nihil ob nostra scelera diffidentiae: superexaltat enim misericordia judicium. Ipse continuo interpellat pro nobis Salvator noster, quem advocatum habemus apud Patrem. Accedamus cum fiducia ad thronum sanctum ejus, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Accedamus, et in nomine Dilecti Filii sui Servatoris nostri, cui dicatum est istius Ecclesiae Cathedralis Templum, Deum patrem Omnipotentem humiliter deprecemur, ut Ipse quod petimus det nobis. Adhibeamus etiam apud ipsum Jesum, Matrem Ejus, Matrem et advocatam nostram, Paradisi Reginam, sub cujus tutela esse vos gloriamini, Mariam Virginem, cujus preces Ipse audit, et cui nihil umquam denegavit. Mariam habeamus, dilectissimi in Christo Filii, fulgidissimum totius Dioecesis sydus ac tutamen. Maria sit nobis turris fortitudinis a facie inimici. Mariam suppliciter in angustiis, periculis, et necessitatibus nostris invocemus, et ipsa preces nostras exaudiet. Precemur etiam et praestolemur suffragia Sancti Viti Martyris praecipui urbis Mazariensis Patroni, et sub cujus praesidio sumus. Sit ipse pro nobis apud Deum perpetuus Intercessor, sit decus nostrum. Precemur tandem omnes Dei Sanctos, quos speciali cultu ac devotione vos colitis; et quorum reliquiae apud vos sunt, et religiose servantur, ut pro nostra omniumque salute intercedere dignentur. Enixe etiam vos rogo Flii dilectissimi, ut pro omnibus qui in sublimitate sunt, preces vestras coram Domino effundatis, et primum orate pro Sm̃o Domino nostro GREGORIO XVI. Universalis Ecclesiae Pontifice Maximo, ut quem Deus Petri fecit esse successorem, et Jesu Christi Vicarium in terris, Eum sospitet, reddatque in iniquissimis hisce temporibus ab omni adversitate incolumem, videatque Ecclesiae navem tot persecutionum fluctibus agitatam, optato in littore requiescere. Orate dein pro Religiosissimo Rege nostro FERDINANDO II. ut cor ejus semper in manu Dei sit, cunctaque Ei prospera in moderandis populis eveniant, omniumque accipiat incrementa virtutum pro sua, omniumque quibus

(1) *Ephes. cap. IV. v. 6.*

(2) *I. Pet. Cap. II. v. 17.*

praeest populorum salute: nec non pro Augusta Regina nostra Maria Theresia Ejus conjuge, pro Eorum regia Sobole, et universa Regali familia, ut det illis Deus bonorum suorum copiam pro Regni tranquillitate, et pro Ipsorum temporali ac aeterna beatitudine. Orate etiam pro S. R. E. Cardinali Constantino Patrizi tituli S. Silvestri in Capite Sm̃i Domini nostri Gregorii Papae XVI in Urbe Vicarii, qui summa qua pollet animi benignitate me in Episcopum hodie consecrare dignatus est. Tandem pro me Deum deprecamini, ut pastoralis officii onus humeris meis impositum sustinere valeam cum Dei gloria atque animarum vestrarum salute. Quod vobis ex corde desidero, paternam vobis impertiens benedictionem, ac suppliciter Deum deprecans, ut super vos, veluti ros descendat benedictio Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Datum Romae extra Portam Caelimontanam Dom: Sexag: An: Rep: Salutis MDCCCXLV. ipso consecrationis meae die.



IMPRIMATUR

F. D. Buttaoni S. P. A. M.

IMPRIMATUR

Jos. Canali Archiep. Coloss.

